

Est enim velut praedo vehemens in aquis: nec minus fere quam Silurus (Glanis) et Lucius, aut etiam amplius, damnosus est vorandis piscibus: quos dum persequitur, in ripam aliquando expellit, et simul etiam ipse interdum impetu in siccum delatus, relinquitur. Hic piscis in Albi nascitur, non aliunde subit, et toto fere anno (sed rarius et per intervalla quaedam) capitur. A partu valde augetur, et pinguescit. Parit autem circa annuntiationem Divae virginis: quo tempore a stationibus suis catervatim procedunt, magni et parvi: duobus aut tribus diebus ante aut post illum diem: idque ita fore certum est. Quod si nihil impediat, sexaginta, plus, minus, uno retis tractu, interdum capiuntur. Piscis est *callidus* et extra hoc tempus, quo propter partum gregatim natat, difficilis captu: nisi vel nimii ventorum flatus, quo minus piscatores et retia trahenda audiat, efficiat: vel aqua perturbata, visum ejus impediat: alias enim inter scamna, quae arena accumulans, manet, nec facile retibus includitur. Caeterum extra pariendi tempus hamo fere capitur, hoc modo. Quoniam vorax est piscis, Phoxinus aliunde pisciculus hamo infigitur, et sic linea per aquam, ultro citroque agitur, eo in loco, ubi

hujus generis pisces degere conjectura est: Hi cum pisciculo pariter hamum devorant, et capiuntur. Piscis est admodum laudatus et boni saporis, tum assus, tum elixus. A plerisque tamen parvi aestimatur, quod idoneum coquendi modum nesciant: nam nisi rite coquatur, sive asses sive elixes, in partes aliquot dilabatur: quod si integrum servare velis, non in fervidam, ut alios plerosque pisces solemus aquam, sed ab initio statim in frigidam praeparatum immittes, ut pariter cum aqua concalefiat: tum condies, saliesque, et ad juris fere consumptionem coques. Assandum vero, desquamabis, exenterabisque similiter: deinde sale diligenter consperges et perfricabis, et per duas horas in sale relictum, tandem assabis: ita bonus et grati saporis piscis erit.

Sunt qui pisces assari solitos, simpliciter assent, ovis (aut lactibus) solum non exemptis et salvia infarcta. Alii ova seu lactes, cum hepate et liene exempta, minutatim concidunt; adduntque multum piperis ac caryophyllorum, salem, uvas passas minores, vitellum ovi, hanc impensam in piscem infarciunt; et assant, putantque ita salubriores fieri.

ARTICVLVS VI.

De Orfo Germanorum seu Capitone subrubro Gesneri.

TAB. XXVI.

9.

TAB. II. 7.

Aldrovand.
de Piscibus

l. 5. c. 12.

Orsum Germani vulgo ein Orff, genus hoc Capitonis vocant, (inquit idem Gesnerus) quod mihi videre nondum contigit, praeterquam Augustae Vindelicorum olim in piscina quadam, ubi mihi intuenti Cyprini colorem prae se ferre videbatur, aqua forte visum meum mutante. Ibidem depictam iconem clarissimus medicus Achilles Pyrminius Gassarus mihi communicavit.

Dorso est rubicundo, ventre albicante, *squamis* (ut apparet) magnis et latis. Assi laudantur, prae-

cipue Aprili, et Majo mensibus. Linea a branchiis ad caudam, an probe adeo recta (praeter plerorumque piscium morem) expressa sit inquirendum. Germanicus liber, qui Bavaricas Constitutiones continet, eadem forma piscem hunc delineatum proponit, digitos 12. vel 13. longum, qua longitudine inferiorem capi non liceat: cum vulgarem Aufonii Capitonem, vel novem digitos longum capere concessum sit: unde hunc (Orsum dico, qui tamen ab Orpho marino pisce toto genere differt) ad molem multo majorem excrescere conjecerim.

In